



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. An actus interni sint legis humanæ materia?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

## §. I.

*An actus interni sint legis humanae materia?*

**S**uppono: Legem humanam circa omnium quidem virtutum actus versari; non tamen omnes virtutum actus præcipere, uti nec omnes oppositorum vitiorum actus prohibere posse. *Ratio primi est:* quod nulla sit virtus, cujus actus ad bonum commune vel mediatur, vel immediate ordinari non possint. *Ratio secundi est:* quia aliqua virtutum opera tam sunt ardua, ut præstet esse opera consilii, quam præcepti, neque eorundem observatio toti communitati foret expedita, ut est perpetua virginitas, paupertas, abstinentia, &c. *Ratio tertii est:* quia omnium malorum prohibitio plus incommodi, quam commodi afferret Republicæ, cum plerumque in communitate major sit numerus imperfectorum: unde prudentia subinde dicitur, permitrenda esse mala minora, ut evitentur majora. Ubi tamen recte advertit P. Engel tit. 2. §. 2. n. 1. t. hanc permissionem non esse approbativam, quo modo actiones honestæ, vel indifferentes, tanquam bono communi utiles positivè permittuntur, sed tantum pœnæ dissimulativam, quâ positiva prohibitio & pœnalis coercitio negativè intermititur. Quæstio potissimum vertitur, an materia legum humanarum possint esse non tantum actus liberi externi, qui sunt extra controversiam, sed etiam interni?

**2.** Ubi nota. Actum internum quatuor modis se habere posse. Primò, ut sit planè internus, velut est mentalis oratio: secundò, ut per se conjungatur cum actu externo, vel infallibiliter inferatur ex ipso, veluti ex actu externo liberè posito inferatur voluntas tanquam causa ipsius. Tertio, ut conjungatur cum opere externo ex vi legis divinæ, vel naturalis, talem actum internum ad moralem substantiam operis illius requirentis, sicuti ex vi legis divinæ ad substantiam confessionis sacramentalis requiritur internum dolor tanquam pars ipsius, & ad sacramenti administrationem intentio Ministri, quamvis utraque actio externa materialiter spectata sine illis actibus internis fieri possit. Quartò, ut actus internus prorsus per accidens & disparatè se habeat ad substantiam operis exteriori, ut est intentio orandi, communicandi, &c. in satisfactionem pro peccatis, vel ex fine vanæ gloriæ, &c. Quibus positis sit

**3.** CONCLUSIO PRIMA. *Nulla lex humana, sive Ecclesiastica, sive civilis potest directe præcipere, vel prohibere actum purè internum.* Ita cum S. D. q. 91. a. 4. in c. & q. 100. a. 9. Constat ex utroque jure; nam in c. *Tuanos, de simonia*; Innocentius III. dicit: *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* Et l. 8. ff. de pœnis habetur: *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Et ratio est primò. Lex humana debet esse proportionata humanæ communitati, quatenus per actus sensibiles inter se communicant membra ipsius: sed membra communitatis inter se, & cum Superioribus communicant per actus sensibiles; & actus merè spirituales potius angelicæ, quam humanæ societati conveniunt: ergo & lex humana [idem dixeris de præcepto] debet versari

R. P. Metzger, Theol. Schol. Tom. II.

circa actus sensibiles & externos. Secundò. De quo humana potestas non potest cognoscere & judicare, de illo quoque non potest legem condere: sed de actibus internis humana potestas non potest cognoscere & judicare, ut certum est, & dicitur 1. Reg. 16. *Homines vident ea, quæ parent, DEUS autem intuetur cor:* ergo potestas humana non potest de actibus merè internis legem condere. Major probatur: quia potestatis legislativæ partes sunt vis directiva; & coactiva: coactiva autem & punitiva judicium requirit.

Neque refert, quòd potestas Ecclesiastica intendat spirituale bonum & salutem subditorum: intendit enim illam ut humano modo, & per actus, quibus membra Ecclesiæ inter se communicant, procurandam. Unde licet Christus potuisset Ecclesiæ dare potestatem præcipiendi actus internos, quo casu vel sibi reservasset iudicium & punctionem transgressionis, vel pœna latæ sententiæ per modum legis transgressoribus potuisset imponi, tamen secundum præsentem providentiam id factum non fuisse praxis Ecclesiæ testatur.

Oppones primò I. Divus, ff. de sicariis. *In maleficis voluntas spectatur, non exitus.* Et I. quisquis C. ad l. Jul. Majestatis: *Eadem severitate voluntatem sceleris, quàm effectum puniri jura voluerunt.* Secundò. Leges humanæ statuunt de actibus occultis, v. g. de hæresi occulta: ergo etiam de internis. Tertio. Ecclesia remittit interiores culpas per absolutionem sacramentalem. Quartò. Reservat peccata merè interna. Quintò. Dispensat in votis solâ mente emissis. Sextò. In Concilio Toletano 1. dicitur anathema non solùm dicentibus, sed etiam credentibus contrarium fidei Catholicæ. Septimò. In c. *commissa §. ceterum; de elect. in 6.* privatur fructibus beneficii, qui illud recepit absque intentione intra annum suscipiendi Sacerdotium, &c.

**6.** Respondeo ad 1. Ibidem per ly *voluntatem* intelligi conatum corporeum, & intentionem externè manifestatam.

Ad 2. nego consequentiam. Nam actus interni sunt per se tales, ut homo de his judicare non possit: sed actus externi in occulto commissi cum simpliciter humanæ noscibilitati subjiciantur, tantum per accidens, nimirum defectu sufficientis testimonii iudicii humani rigorem effugiunt.

Ad 3. Respondeo. Absolutionem sacramentalem pertinere ad forum internum, in quo Sacerdos se gerit tanquam minister Christi, & attendit propriam & particularem cujusque salutem.

Ad 4. eadem dari potest responsio, quòd reservatio sit ordinata ad forum pœnitentiæ, cui etiam interna peccata subjiciuntur. Deinde reservare, nec est præcipere, nec prohibere aliquem actum, sed potestatem absolvendi restringere, & in ordine ad aliquem actum internum denegare.

Ad 5. Respond. Dispensationem votorum tantum esse actum voluntariæ jurisdictionis, cui se vovens per externam manifestationem submit.

Ad 6. Respond. *anathema dici* in Conciliis idem esse, ac hæreticum declarari, atque hoc ipso ab Ecclesiæ communiione se junctum.

Q 9

Ad

Ad 7. Respond. primò. Ibidem directè præcipi susceptionem Sacerdotii, & indirectè intentionem illud recipiendi. Secundò dici potest, concessionem beneficii esse conditionatam, nimirum sub conditione habendi intentionem Sacerdotii intra annum recipiendi: in cuius proinde conditionis defectu etiam dominium fructuum non acquiritur.

7. CONCLUSIO SECUNDA. *Quandocunque actus internus per se connectitur cum externo, vel ad ipsius valorem & moralem substantiam ex lege Divina, aut naturali requiritur, toties indirectè præcipitur a lege humana etiam actus internus.* Ita Suar, Reding, Layman, & comm. Ratio est: Quà lege præcipitur aliquis actus, eadem præcipiuntur omnia requisita ad talem actum legitime & verè ponendum: ergo si actus internus pertinet ad veritatem operis, quatenus à lege intenti, etiam actus internus indirectè cadit sub præceptum. Unde non satisfacit præcepto confessio, qui negligit internum dolorem; neque communio, qui Corpus Domini sacrilegè accipit; cum vera sacramentalis confessio internum dolorem, vera Communio mundiciem conscientie ex divina lege requirant.

8. CONCLUSIO TERTIA. *Actus internus tantum per accidens conjunctus cum externo per legem humanam præcipi, aut prohiberi non potest? quia talis actus internus non innotescit ex vi actus externi, adeòq; humane noscibilitati & iudicio non subjicitur.*

#### § II.

##### Corollaria.

9. Colliges primò. Si quis impleat opus præceptum, ex specie sua bonum vel indifferens, satisfacere præcepto, quantumvis habeat malum finem, & intentionem discordantem ab intentione legislatoris, ita ut aliqua vitiosa circumstantia destruat moralem operis honestatem. Unde satisfacit Ecclesiastico præcepto audiendi Sacrum, qui illud audit ex fine vanæ gloriæ. Ra-

tio est: quòd finis & intentio legislatoris non cadit sub præcepto, siquidem modus agendi ex proposito virtutis & honestatis omnino est intrinsecus & latens. Ita Sotus, Navar, Castropal. & Commun.

Colliges secundò. Satisfieri præcepto, si opus, præceptum quoad substantiam voluntarie impleatur, quantumvis non habeatur expressa voluntas, & intentio satisfaciendi præcepto: quia lex non plus præcipit, quam voluntariam operis executionem: sed hæc habetur absque signata & reflexa intentione obediendi præcepto, quæ planè mentalis est, & interna, nec pertinet ad substantiam operis præcepti. Unde si die festivo audires Sacrum ad satisfaciendum voto, cum animo alterum Sacrum audiendi ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, tamen satisfecisti præcepto Ecclesiæ, tametsi alterum Sacrum non audias.

Colliges tertio. Nihilominus requiri voluntatem & intentionem saltem exercitam ipsius operis ponendi, quòd sub præceptum cadit: quia non satisfacit præcepto, nisi ponendo illam substantiam & quidditatem actus, quæ sub præceptum cadit: sed sub præceptum cadunt actus humani liberi morales, qui absque aliqua intentione & voluntate operis tales esse non possunt: ergo si nè aliqua operis intentione & voluntate præcepto non satisfacit. Unde qui profusus involuntarie interesset Sacro, non satisfaceret præcepto illud audiendi, neque in ebrietate recitans aliquam orationem, præcepto vel voto debitam, satisfaceret suæ obligationi. Ita communiter tradunt DD.

Colliges quarto. Necessitatem prædictam intentionis esse in præceptis affirmativis: quia præcepta negativa pro objecto non habent actum moralem & humanum, sed solà omissione implentur. Unde præceptum abstinendi à carnibus impleres solà non comestione carniū, nulli licet accedente intentione abstinendi, aut præcepto obediendi. Castrop. in præf. p. 17. n. 4. Reding q. 16. controver. 3. n. 5.

## ARTICULUS III.

### Quæ pertineant ad formam legis humanæ.

#### SUMMARIÆ.

1. Forma legis interna & externa.
2. Ratio legis non est forma intrinseca legis humanæ.
3. Promulgatio debet esse solemnis & publica.
4. Non necessario fit per scripturam.
5. Prævia consultatio non est de ratione legis.
6. Leges requirunt verba significativa obligationis.
7. Ad valorem legis Imperialis requiritur promulgatio in singulis provinciis;
8. Non ad valorem aliarum legum.
9. Controversia de legibus Pontificiis.
10. Leges Pontificie non necessario requirunt publicationem in paribus.
11. Solvuntur objectiones.
12. Aliquando ex privilegio, vel consuetudine requiritur publicatio in paribus.
13. Ad obligationem requiritur bimestre tempus, nisi aliud exprimat.
14. Solvuntur objectiones.
15. Quid sentiendum de Pontificiis damnationibus sententiarum?
16. Ad nullius legis Ecclesiasticæ valorem per se requiritur acceptatio populi.
17. Neque ad valorem legis Civiliis.
18. Exponitur axioma Gratiani.

#### §. I.

##### Requisita Generalia.

**A** Legis materia ad ejus formam transgreditur, quæ vel est intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca est juxta sup. dicta imperium legislatoris, quòd præsuppositivè includit intentionem & voluntatem subditos obligandi, quæ si abesse, legis substantia non subsistit, quantumvis omnino alia